

minet, quam nulla creatura sedare aut ferre potest.

Ideo increduli tam multas habent causas lugendi, propterea quòd remedium ignorant, quo peccato occurri possit. Nobis verò Christianis DEUS optimus Max. filium suum unigenitum misit, qui omnia peccata sustulit, & nos cum cælesti patre reconciliavit, juxta dicta Esaiaë 53. *Verè languores nostros, &c.* 1. Joh. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c.* Johan. 1. *Ecce agnus Dei, &c.* Johan. 5. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitã eternam, &c.* 1. Tim. 1. v. 15. *Certus sermo & omni acceptione dignus, quòd Jesus, &c.* Esa. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur.*

Christi meritum.

Consolationes.

Quia igitur per Christum à peccatis liberati sumus: ideo mors omnem suam potestatem in nos & in nostros qui in fide obdormiverunt, amisit. Etsi enim & illi, sicut & alii obeunt, & in cinerem rediguntur, tamen in iis non tantus terror & anxietas malæ conscientie, non timor damnationis aut fuga corã facie DEI existit. Cor enim eorum pacem cum DEO sentit, in eoque lætatur & recumbit, & Spiritus Sanctus eos in morte sustentat, iis lucem & gustum vitæ æternæ in animabus eorum accendit. Sicut Christus ait Johan. 8. 51. *Amen dico vobis si quis sermonem meum, &c.*

In credentibus non tantus terror mortis.